

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Hiber. IIII tab. orientalem Vltonia partem continens, & fequentia territoria

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Hiber. IIII Tab. Orientalem Vltionæ partem continens, & sequentia territoria,

*Clandeboy, Tyrone, Arde, Lecale, Evaugh, Arthule, Newry, Mourne, Fufe, Uriel, & alia plura.*

### L A G E N I A.

*Regio.  
Nomina.*

*Sob fertilitas.*

**M**EDIAM in nostri auctoris partitione sequitur *Lagenia* quarta Hiberniæ pars, Incolis *Leighnig*, Britânis *Lein*, Anglis *Leynster*, Scriptoribus Latinis *Lagenia*, in antiquis Sanctorum vitis *Lagen*. Tota maritima ad ortum Hiberniæ jacet, a Momonia *Neoro* fluvio, quem multis tamen in locis transcendit: a Connacia aliquamdiu *Sineo*, a Media suis limitibus terminata. Ptolemæi ætate sedes erat *Brigantibus*, *Coriondis*, *Menapiis*, *Caucis* & *Blanis*, & ab his *Blanis* fortasse deducta & contracta illa recentiora nomina *Lein*, *Leinigh*, & *Leinster*. Fertilis & frugifera est terra, mitissimo Cælo, nec inclementibus Incolarum ingeniis. Distinguitur nunc in Comitatum *Wexford*, *Caterlogh*, *Kilkenny*, *Dublinensem*, *Kildariensem*, *Comitatum Regis*, *Comitatum Regina*, *Longford*, quibus *Fernes* & *Wicklo* nunc annmerantur. Hoc Comitatus jam ex ordine lustrabimus cum Camdeno, secundum populos quos hanc Hiberniæ partem habitasse scribit Cosmographus. *Brigantes* federunt inter Suiri ostium, confluentemque *Neori* & *Barrowi*, qui *Bigus* Ptolemæo dicitur, sub urbe *Watersfordia*. Quædam exemplaria habent hos *Brigantes* dictos fuisse, quod si verum est, a *Bigo* flumine quod circumcolunt, nominatos fuisse ipsum nomen fere persuadeat. Inter *Neorum* & *Bigum* habitant *Coriondis*, ubi nunc *Carloo*, sive *Caterlogh* Comitatus, & agri *Kilkennien* pars non minima, atque etiam ulterius ubi *Ossiria* Superior & *Ormondia* quæ Hibernicis *Urrodm*, Anglis *Ormond*, & vulgo corruptissime *Warmewood*. Sub ostio Suiri *Menapii* tenuerunt promontorium ad *Lybonotum*, ubi nunc Comitatus *Weshfordiæ*, Hibernicæ *Comty Regh*. Hoc ipsum promontorium *Hieron*, i. *Sacrum*, vocat Ptolemæus, & eadem significatione ab Incolis etiam vocatum fuisse non dubitarem. Hujus enim extremum opidum ad quod Angli primam exscensionem in hanc Insulam fecerunt, *Banna*, quod sacrum sonat, lingua patria vocarunt. Ab hoc sacro promontorio litus in Ortum obversum ad Septemtrionem longo tractu procurrit, cui vadosa objacent in mari loca navigantibus infidiosa, quæ nautæ *The grounds* vocant. *Cauci*, qui item gens erat maritima Germaniæ proxime *Menapios* habitant, non eo intervallo quo in Germania disiti. Horum fuit maritima illa regio, quam *O More*, & *O Brim* Hibernicæ familiæ incolunt, una cum Comitatu *Kildariensi*. *Kildariensis* Comitatus ager est letissimus, de cujus pascuis Giraldu illos Virgilio versus usurpat:

*Et quantum longis carpunt armenta diebus,*

*Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.*

Vltra *Caucos* egerunt *Eblani*, ubi nunc ager *Dublinensis*, & *Meth*, altera è quinque Hiberniæ portionibus. Comitatus vero *Dublinensis* ad mare est gleba fertili, pascuis lætis, silvis autem ita nuda, ut cespite bituminoso,

vd





MARE HI  
BERNICUM





VLTONIA ORIENTAL.

48

*Urbium nomina.*

vel fossili ex Anglia carbone plerumque utatur. Incolis autem & opidis refertissimus. Vbi *Lifinus* flu. in mare se condit *Houth* mari fere circumfunditur, a qua S. Laurentinorum familia Barones de *Houth* nominantur. Interius Dublinensibus adjacet ad Aquilonem *Fingall*, cultissima regiuncula, & quasi hujus regni horreum: Tantam frumenti vim quotannis suppeditat. Certatque hic quodammodo tellus cum agricolarum laboribus, quæ alibi per hanc Insulam neglecta & inculta de ignava Incolarum desidia gravissime conquæri videtur. Hisce positis ad urbes & opida transitum faciamus. Hic primum occurrit *Kilkenny* Neoro apposita, id est, *Cella*, sive *Fanum Canici*, qui antiquitus ob vitæ solitariae sanctitatem hoc tractu maxime inclaruit. Municipium est nitidum, elegans, copiosum & inter mediterranea hujus Insulæ facile primum. Inferius ad eundem Neorum sedet opidulum munitum Anglice *Thomas town*, Hibernice *Bala mac Andan*, id est, opidum filii Anthonii, utrumque nomen ab exstructore Thoma Fitz-Anthonio Anglo inditum est, cujus hæredes etiamnum hujus Domini agnoscuntur. Est etiam hoc tractu antiqua illa urbs *Rheba*, a Ptolemæo memorata, quæ nomine etiamnum facta tecto *Rheban* dicitur: sed pro urbe sunt pauculæ casulæ cum propugnaculo; Nobilem tamen virum N. de S. Michaelæ Baroneti titulo exornat, qui vulgo *The Baronet of Rheban*, appellatur. Est & *Lechlinia*, Hibernice *Leighlyn*, Regium opidum a Bellinghamo illo nobilissimo Prorege, patrum memoria castro munitum. Floruit & *Rosse* urbs ampla mercimoniis & habitatoribus frequens, ab Isabella Comitissæ Richardi *Strangborow* filia, moenibus magno ambitu armata, quæ solummodo nunc ostendit. Discordia enim inter cives & religiosos flagrante, jam pridem fere in nihilum recidit. Hic etiam *Menapiam* urbem statuit Ptolemæus, ad ostium *Modonæ* flu. Verumenimvero cum unum solummodo flumen hoc loco se effundat, quod nunc *Slane* dicitur, & ad ejus ostium ubi stagnat urbs sit Germanico nomine *Weyford*, totius Comitatus caput: & *Slane Modonam*, quæ *Flemingos* olim Barones habuit, & *Weyford Menapiam* fuisse, confidētius inquit Cam. conjectarim, eoq; magis quod hoc nomen sit recentius & ab illis Germanis impositum, qui *Oustmanni* Hibernis appellantur. Cæterum non primæ magnitudinis urbs est, sed cum primis memoranda, quod primum totius Hiberniæ in Anglorum fidem, Stephanide Duce fortissimo oppugnante se contulerit, Anglorumq; facta fuerit colonia, unde totus hic ager Anglis est refertissimus, qui Anglorum antiquo vestitu, & idiomate etiamnum utuntur, ita tamen ut Anglohibernice plane loquantur. Est præterea in Comitatu Kildariensi *Kildaria* primum & præcipuum opidum, cui honori erat in prima Ecclesiæ Hiberniæ infantia, Brigida virgo sanctitate, & virginitate venerabilis. In agro Dublinensi est non solum *Lageniæ*, sed totius Hiberniæ primaria civitas, quam Ptolemæus *Eblwam* dixit, Angli *Develin*, Latini *Dublinium*, & *Dubliniam*, Cambrobirtanni *Dinas Dulin*, & Hibernici *Balacleigh*, id est opidum super *cratas*, subjectis enim in palustri loco cratibus, conditam affirmant, uti Hispaniis Hispaniæ, quam sic nominatam tradit Isidorus, quod in palustri solo suffixis pro fundo palis locaretur. Regia hæc Hiberniæ urbs est, Emporium nobilissimum, & primæ justitiæ forum, moenibus validum, ædificiis splendidum, civibus frequens, castello ab Henrico *Loundre* Archiepiscopo firmatum, & quindecim templis exornatum, è quibus sunt. S. Patricii



tricii ædes à Roberto *Cumil* exstructa, seu potius restaurata, quæ sedes Archiepiscopalis; & Christi, in qua Richardus *Strongbow* Penbrochiæ Comes, expugnator ille Hiberniæ splendido sepulchro conditur. Immunitatibus etiã gaudet multis. Olim pro summo magistratu Præpositum habuit, sed anno reparatæ salutis 1409 ut Major, & duo Ballivi quotannis eligerentur, concessit Henricus quartus: Ballivos autem postea in Vicecomites Edwardus VI commutavit. Elizabetha vero Regina ad ingenia mollioribus literis excolenda faultis auspiciis Academiæ posuit fundamenta. Nec quicquam hic deest, quod in florentissima urbe desideres, nisi quod portui plurimum officit arenosus cumulus reciproco maris meatu, in *Aven-lisnii* ostium aggestus, sic enim præfluentem fluvium vocant, id est, *omnis Liffinus*. De vetustate vero Dubliniæ quod dicam, nihil certi occurrit; vetustissimam tamen esse Ptolemæi autoritas persuadet, & eo sane tempore, quo Ptolemæus floruit, ab Avellano conditam civis produnt. Saxo Grammaticus Danicis bellis misere convulsam fuisse tradit: postea in Eadgari Anglorum Regis potestatem devenit, quod Diploma datum confirmat. Deinde occuparunt Norwegi, unde, in vita *Gryffithi ap Cynan* Principis Walliæ legitur, Haraldum Norwegum, cum maximam Hiberniæ partem subjungasset, Dubliniam condidisse. Demum vero in primo Anglorum adventu eorum virtuti concessit, & ab illis fortiter defensa est, cum Aufculphus Dublinensium Princeps, & postea Gottredus Rex Insularum eam acriter undique adorirentur. Iam inde vero deducta in hanc ex Anglis, præcipue ex Britoliensibus Colonia, multis trepidis rebus, & angustiis, præclara suæ fidei in Anglorum reges documenta dedit. Sed de his satis, ad Montes & flumina transeo. Infra Ormondiam *Blieu Blemy*, (Bladiniæ môtés vocat Giraldus,) *Montes et Flumina.* se leviter convexis jugis attollunt, è quorum visceribus quasi maternis *Suirus*, *Neorus*, & *Birgus* eduntur, & divisis alveis decurrentes, priusquam Oceanum adeunt, concordibus se consociant aquis; unde *Tres Sorores* ab antiquis dicte. *Neorus* multa propugnacula & quædam stringit opida. *Birgus* nunc *Barrow*, è Bladina etiã Monte profluens, solitarius multis anfractibus delatus, *Rheban* prætermeat, aliaque opida. Post *Neorus* & *Birgus* aquas commiscet, & pauca milliaria uno alveo emensi *Suro* forori maximæ, & nomen & aquas offerunt suas, qui statim in Oceanum scopuloso ostio immergitur, ubi a sinistra angusta cer vice excurrit promontoriolum, quod editam turriculam navigantibus præterdit, a Rossensibus cum floruerunt, positam, quò tutius ostia subirent. In hac parte *Modonam* flu. statuit Ptolemæus, de quo supra: & *Ovocan* in regione maritima, ad quod *Arcklo* castrum sedet, qui fluvius, ut inquit Giraldus, *non minus influentibus, summumque replentibus quam elapsis omnino marinis aquis, immata dulcedinis saporem, retinens illibationem usque in ipsum mare impermixtas salcedine undas conservat.* Est & *Liffinus* amnis qui Dubliniam præterlabitur, hic raro rapide fertur nisi post ingentem pluvia vim: cæteroquin admodum sedatus fluit. Archiepiscopus unus in Lagenia, qui sedem suam habet Dubliniæ, & Glandelachy, Glandeloylong, & Primas Hiberniæ nominatur, sequentes sub se habens Suffraganeos Episcopos. *Elphine*, *Bishops Helphen*, *Kildare*, *Fernes Ossorie*, *Leighlyn*, aliis *Laghlyn*.